



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Quæ tria sint circa mortem considera[n]da? Et omnes in exilio  
degere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

at quòd egestatem sentit, quòd labores patitur, quòd senescis, quòd aegrotat, quòd moritur, quisq; conqueritur, quasi secundum naturam minus ista, quàm illa sint: & nasci & viuere, & comedere & esurire, & dormire, & mori naturalia sunt, ut nemo his mortalium vacet, nisi cui fortè senescendi necessitatem, laborumq; molestias & agritudinum necessitas mortis precipitata remiserit. Quid igitur inutiles querelas effundimus? an quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permisimus? an quia omnibus cunctorum simul in nos lamenta transfundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sanè negotium & importunum: illa enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiam exacerbauimus, in parentem optimam ingrati, in nosmetipsos impij.

### CAPVT XLV.

*Ratione Loci, in quocumque quis moriatur, neminem conqueri posse.*

**R**is potissimùm circa Mortem in quæstionem venire possunt, Locus, Tempus, Modus moriendi. Locus quidem, vt sciatur, cur aliqui domi, in patria, atque inter suos, alij foris, apud alienos, & ignotos, ex hac vita migrare cogantur: Tempus autem, vt cognoscatur, quare alij in infantia, in iuuentute alij, alij in sera ætate moriantur? Modus duo inuoluit, vnum ex parte corporis, ex parte animi alterum. Primum varia genera mortium, secundum diuersa genera tentationum complectitur. Ad locum morientium quod attinet, non est profunda quæstio. Nam quòd aliqui peregrè, aliqui in patria, quidam sub tecto, quidam in plateis & medio foro è viuis excedant, quidam in munitis, quidam in apertis locis & campis vltimum diem claudant, Mortis jus est, à quo neminem Natura excipit. Si vllus in Mundo locus esset à Morte immunis, omnes eò vellent confugere, quantumcumque distaret. In Paradiso talis locus fuit; sed illa immunitas non tam ad locum, quàm ad arboris fructum pertinebat. Quare postquam mortis reus factus est Adam, ex eo loco expulsus est, dicente Domino: *Ne fortè mit-* Gen. 3. 22.  
*tat manum suam, & sumat etiam de ligno vite, & comedat, & viuat*

Rrr s

in



300 Cap. XLV. *Vbicumq; quis moriatur, conqueri eum non posse. in aeternum. Ejecitq; Adam, & ne postliminò reuenteretur, collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vita. Reliquus totus Mundus exilium Adami fuit, in quo, tamquam proscriptus, Mortis potestati traditus fuit, contra quam nullum vel illi, vel posteris eius asyllum datum est. Nulla vrbs tam munita, nulla mœnia tam firma, nulla turris tam alta est, vt Mors longis suis cruribus ascendere non possit, & domino eius fatale telum, infigere.*

II. Est quidem vna terra alterâ melior, vna aura alterâ salubrior, vnum cæli clima altero præstantius, atque hæc sanè faciunt ad sanitatem, quin & ad vitam prolongandam; nequam tamen ad consequendam immortalitatem. Quamobrem rectè Martialis de Curatio Tiburtinum cælum quærente scripsit.

Martial. li. 4.  
Epigr. 60.

*Ardea solstitio, Paestanaq; rura petantur,  
Quiq; Cleonao sidere feruet ager.  
Cum Tiburtinas damnet Curatius auras,  
Inter laudatas ad Styga missus aquas.  
Nullo fata loco possis excludere: cum mors  
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.*

Tacit. lib. 2.  
Annal.

Sicut enim saluberrimus locus est Tibur, ita Sardinia mediterranei maris insula notata est à veteribus ob cæli grauitatem. Qua de causa Tacitus narrat, sub Tiberio Senatusconsultum fuisse factum; vt *Iudaorum & Egyptiorum quatuor millia in insulam Sardiniam veherentur, qui si interisissent, ob grauitatem cali, facilem iacturam, & vile damnum futurum.* Quò alludit & Suetonius his verbis: *Iudaorum inuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cali distribuit.* Graue cælum est, vbicumque quis moriatur. Nec sequi mortem, necesse est; nec vtile, fugere, nisi vbi contagio suadet esse fugiendam; & neque tunc quidem mortem euades insidiantem; hinc Poëta dixit:

Sueton. in  
Tiberio. c. 36.

*Nec quamuis fugias ad Tanaim, effugies,  
quia vbicumque tecum circumfers tuam mortalitatem.*

III.  
Ant in Me-  
liss. part. 1.  
serm. 58.

Quòd si igitur vbique terrarum homines tandem mors inuenit, quid refert, vbi inueniat? Philosophicè Diogenes, lu-  
gente